



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

Resp. V. De putatiuo pastore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

res assumeret subsidiarios.

18. Causa finalis non impulsiva determinat effectum.

19. Ut ille distinguatur.

20. Pro fauorabili causa in dubio censendū.

21. Ut hæc vel illa causa præsumatur: hæc vel illa hic intelligatur?

nem sacramentorum commisit, ideoque non vt profugis tantum, & ægrotis subsidiarij operam præstiterunt, sed indifferenter omnibus, citra difficultatem.

Sed an ea expressio *occasionis multitudinis ægrotorum & aliorum egentium sacramentis penitentia, viatici, & extreme unctionis*, impediatur indefinitam locutionem comprehendere assentiam matrimonij, quam adeo multi non exigunt infirmi, aut profugi? dubitatur nunc ex hoc facto: & pugnat tam verbum *occafio*, quam fauor matrimonij, contra restrictionem: impulsiva enim causa non restringit; sed finalis dumtaxat: & de hac accipi tantum potest quod cessante causa cesset lex, & dispositio testantis: aut contrahentis; non autem vbi cessat impulsiva, cessat dispositio.

RESPONSVM V.

De putatiuo paflore.

Quamuis Concil. Trid. s. 24. *de reform. mat. c. 1.* omnes omnino matrimonij contrahere volentes inhabilet ad contrahendū aliter, quā coram proprio alterius parochi, vel alio sacerdote, de illius Ordinarij licentia, & duobus saltem testibus, contractusque irritos atque nullos faciat: frequenti tamen sententia receptum est, vt quamuis parochus interdictus, prohibitus, priuatus, iniustum titulum habens, aut propter aliquos iuris defectus nullum, atque etiam parochus putatiuus sit tantum, matrimonium tamen sit validum. *citati à Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trid. ad d. c. r. n. 87. & seqq.* sed tamen nō quomodocumque putatiuus singulari quopiam priuati alicuius sed populari, atque communi errore, ex titulo saltem colorato, atque aliqua possessione. vt in *l. Barbarius Philippus. D. de off. prætor.* Barbarius seruus cum esset in candidatorum numerum irrep-

Putatiuus sufficit ex communi errore, non singulari.

T 2 ferat,

ferat, à populo prator fuit constitutus, officiumque exercuit; atque ob communem errorem, bonumque publicum acta eius sustinentur. idem est in l. 2. C. de sent. & interloc. om. Iud. cum ergo error priuati vnius tantum est, non idem receptum est. l. nulla. qui & à quib. manum. lib. l. non idcirco. 44. §. 1. D. de indic. optimè Cuiac. obs. l. 1. & obs. 33. Hotoman. quæst. illu. l. c. 17. quos sequitur Buius ad d. l. Barbarius. vt in errore nō probabili aliud obtinuit. c. 2. de constit. in o. c. dudum el. 2. de elect. vers. in multarū animarum.

Porro in presenti causa error aëtrici priuatus est, suppositi calculæ, in vicem parochi, sacerdotali veste induti, personam non agnoscens.

Videamus, an actus coram parsonato parochi celebratus, saltem habeat vim sponsalium? & quidem cum omnis omnino abfuit parochus, eam controuersiam in vtramque partem agitant doctores citati à Barbofa vbi supra n. 150. 157. dum Concilium d. c. 1. & contrahentes reddit inhabiles, & contractus nullos. & quidem subtiliter disputari hæc possunt, quando contrahentes in nudis verbis substiterunt. Nā licet in d. c. 1. in verbis ad sic contrahendum, & huiusmodi contractus partium inhabilitas & nullitas actus, vt talis, decernatur; non tamen alio quouis modo; vt idem Concilium s. 25. de regular. c. 15. professio ante ætatis & nouitiatus annos ibi præscriptos sit nulla, inquit, nullamque inducat obligationem ad alicuius regule, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus. & c. 16. renuntiatio secus quam ibi præscribitur facta sit irrita, inquit, & nullius effectus. quæ adiectiones faciunt, vt cum illæ desint decreto d. c. 1. non abs ratione dubitari possit, an nullitas illius extendatur ad omnes omnino alios effectus, præsertim illos, qui proposito fini, intentionique

Concilij non aduersantur quemadmodum sæpe respondit S. Congregatio Interpretum Concilij Tridentini decretum d. c. 1. non extendi ad sponsalia de futuro; eo excepto, quod per copulam nunc non transeant in sponsalia de presenti. vt retulimus in lur. Pont. nou. anal. de sponsal. in principio, & plenius citati à Barbofa vbi supra. n. 146. 152.

Sancè authores citati ibidem n. 151. graues sunt, neque rationes leues in defloratis bona fide, non aliqua erga decretum ecclesie d. c. 1. contumacia contrahentibus, potest quanto magis dum sub vmbra ecclesiastici ministri sacrilegè decipiuntur; vt omnino actus, si non valet, vt agitur, valeat meliori modo quo valere potest. vt in im. puberibus sponsalia de presenti vertuntur in sponsalia de futuro. c. fin. in fin. x. de de sp. impub. c. vii. §. 2. eod. in 6. in verb. que iura interpretatione fuerint sponsalia de futuro, & in verb. contractus valent et potuit; non sicut agebatur. & causam vbiq; assignant doctores, fauorem matrimonij, qui vtrique & hic debere videbitur ei, quæ nulla erga ecclesie decretum contumacia fuit, sed miserabiliter decepta; & sub specie proprii parochi, & propterea Concilium Trid. d. c. 1. §. qui aliter. dum vitur verbo attemptabunt, præsumptionem & contumaciam aduersus ecclesie decretum denotat. quæ in hoc casu non inuenitur, cum personâ proprii parochi, quis induit. adeo quidem, vt quamuis matrimonium omnino serio ante d. c. 1. qui aliter inculcauerit coram proprio parochi contrahendum, atque aliter validum esse nequeat; posse tamen videatur eam recipere fauoris interpretationem, vt vim sponsalium habeat.

Enimvero vt in lur. Pont. anal. de spons. n. 3. & 16. in fin. diximus, merito quidem contractum iure, seu vi sola conventionum expensâ,

2.
An coram
si putari-
uo actus
habeat vim
sponsalium?

emittit
et ad huius
remittit
ad d. c. 1. §. 1.
et ad huius

expensa, verius est non transire
 contractus huiusmodi de presenti
 in sponsalia de futuro. *iuxta c. in qua
 fidem. X. de spons.* quia id quod nul-
 lum est, nullum producit iuris ef-
 fectum. adeoque quod fit contra
 d. s. qui aliter, neque valebit vt
 potest: vt in impuberibus, quia
 ius diserte resistit: vt non facit in
 matrimonijs impuberum; sed de-
 fectus materiae seu personarum co-
 pulae incapacium. tamen cum de-
 uentum erit ad copulam, non ex
 contumacia aduersus ecclesiae de-
 cretum, sed seductione, errore,
 ignorantia, aequius est deceptis
 subuenire: ex ratione c. 1. *X. de
 adult.* adeoque in personis honestis
 eam speciem seductionis praesu-
 mere, vt credantur verbis in praesens
 conceptis complecti voluisse
 & futurum; vt, si non valeant vt
 efferuntur; valeant vt valere pos-
 sunt: atque ita ex intentione de-
 ceptarum ante honeste viuentium
 aestimentur sponsalia de futuro
 complecti: vt in illorum vim vitia-
 tae in vxorem duci se, ad vitij re-
 stauracionem, iuste postulent.

Sed quid opus est hanc sponsa-
 lium obligationem elicere argu-
 mentando, cum Rei chirogra-
 phum habeamus manifestum? quo
 fatetur ipse se obligatum ad d.
 actricem in vxorem sumendam; se
 fidem coram Deo ei dedisse; im-
 precaturque, si eam sefellerit, vt
 gratia diuina excidat. ad obligatio-
 nem huiusmodi, fidemque exsol-
 uendam actionem dari, dirarum
 imprecationum horribiles succes-
 sus promissa explendo vitandos
 esse, omnis ratio christiana exigit.
 atque huiusmodi promissa irretro-
 stabilia esse, neque poenitentiae
 locum dari, quando res ab altera
 parte non est integra, utique co-
 pula subsecuta (sicut in contractu
 facio vt facias, cum alter fecit, al-
 ter non potest non facere) opti-
 me ait Sanches. *de mat. l. 1. d. 10.*
 n. 3. 4.

Neque refert quod dicitur chi-

rographum illud, post copulam
 datum esse: neque enim, vt id ve-
 rum foret, ideo fides flocci pendi,
 aut non praestari potest: adeoque
 scrupulosa fuit inquisitio, per tot
 testes copiecurales, an datum il-
 lud fuerit anno 1635. an 1636.

Praesertim cum illud etiam ex
 chirographo liqueat non tantum
 fidem ibi promitti in futurum; sed
 & confessionem scribi datam iam
 pridem de praeterito; renouari
 promissionem praestandam ad exo-
 nerationem conscientiae. &c.

Scrupulum autem nullum mou-
 ere potest, quod coacta matrimo-
 nia difficiles soleant habere
 exitus: quia id scrupulum nullum
 iniecit Concilio Trid. s. 24. *de re-
 form. mat. c. 6.* vbi decernit rapto-
 rem debere ducere, & dotare rap-
 tam, postquam extra eius potesta-
 tem consenserit: neque diuinis
 scripturis, vnde sumptum est d.
 c. 1. *X. de adult.* vt seductor virgi-
 nem ducat, & dotet. imò non po-
 test Iudex non seruare sacros cano-
 nes, vel in dictanda sententia
 ab illis recedere, vt ius suum cui-
 que reddat. praesertim cum dicta-
 men istiusmodi sententiae, quam
 proximè reparet honorem deflo-
 ratae: quod non facit sola dotatio.
 In ipsa porro executione huiusmo-
 di sententiae exsurgunt partes pru-
 dentiae Iudicis. *Vid. resp. seq.* vt
 circumspectat hinc iustitiam laesam;
 inde coacti matrimonij difficiles
 exitus: hinc fidei obligationem,
 iuramenti que religionem; inde
 duritiam ceruicis inuoluntariae:
 hinc quatenus iustitia coactionem
 exigit; inde quatenus prudentia,
 ne excedat: hinc illa poenas & cen-
 suras velit infligi; inde expendi,
 ne si nimis diu, & obstinate per-
 ferantur, venenum fiant, quae pro
 remedio sunt inuenta. in summa,
 condemnare per sententiam Iudex
 debet vt ducat, hanc exequi, & co-
 gere; sed tamen cum prudentia, vt
 cogendo inuoluntarium, faciat tran-
 sfire ad liberum consensum, aut sal-

4.
 Coacta
 matrimo-
 nia vt ius
 consideret.

5.
 Non vt
 sententia
 non fera-
 tur pro ob-
 ligatione.

6.
 Sed coa-
 ctio pru-
 denter
 temperetur.

tem sententia aliàs sic concipienda esset, si per anticipationem de difficultatibus istis sint allegationes, probationesque inductæ, vt actis conformis sit sententia, vt iudex declaret debuisse quidem reum adricem ducere, ob incommoda tamen aliud tolerandum. nam ea formula nonnihil saltem consultur honori deceptorum: nemeretrio animo, sed affectu quasi coniugali, peccasse videantur.

Quare cessat hic, quod demum quaeritur, an Reus offerendo dotem, ad arbitrium Iudicis, obligatione sua defungi possit? quamuis enim praxis forensis tenorem d. c. 1. *de adult.* qui coniunctim scriptus est, vt seductor virginis ducat, & dotet, transtulerit ad sensum alternatiuum, vt ducat, aut dotet: propter varias seductionum species; & quod sæpe promissa de ducendo non probentur: & in alternatiuis obligationibus debitoris sit electio; ita vt vnã præstando, ab altera liberetur? tamen cum promissa de ducendo sunt facta, eaque probantur, tenetur promissor; & in omnibus hodie Belgij tribunaliis ecclesiasticis condemnatur, vt ducat.

Quod si vnquam iustum, æquum est, in hac facti specie sanè iniquissimum fuerit sacrilegum deceptorem remissius condemnari. præsertim cum, vt diximus, de seductore id diuinæ literæ statuerint: *Exod. c. 22.* & sit plusquam seductor hic: & in stupratore ex d. c. 1, vt *sub tit. de stup. & adult.* iacet; & sit plusquam stuprator hic: in raptore Concil. Trid. d. c. 6. & sit plusquam raptor hic.

Sanè præter veterum legum austeritatem aduersus raptores, seductoresque laudatur capitalis severitas edicti Henrici III. Galliarum Regis contra eos, qui inscijs parentibus, tutoribusque filios filiasue familias, seu minores abducunt. & annales nostri referunt,

& Lipsius in *Monitis Politicis* extollit, Caroli Audacis egregium factum; quo iudicum, qui deceptorat spem liberandi mariti honestam eousque matronam, & marito nihilominus mortem irrogauerat; deceptam iusserit vxorem ducere, hæredemque instituire, ac post priuatam satisfactionem, ad vindictam publicam gladio subiecerat.

Neque quidquam mouet declaratio scripto facta ab actrice: eam siquidem per vim & metum extortam esse censendam, sufficientissimis præsumtionibus, argumentisque probatur, ea sunt clamor, lacrymæ, sauitia inclusio, derentio, (quam ipse reus fatetur saltem talem fuisse, vt ne do- minicis quidem aut festis diebus actricem permiserit templum accedere) protestatio d. actricis, quod id cogere tur in vita signare, quod omnino aut verum non esset, aut ipsa nollet. ex qua sola refertur irritata professio in c. 1. *de his que vi aut met.* denique tenor ipsius extorti scripti, qui talis est, vt vix à meretrice sponte obtineri posset. quod scilicet nullo matrimonio, nullo promisso præmio. Actrix reo sui copiam fecerit. nam præter Rei chirographum euidenter contrarium, de tam honestè nata, tam probè educata, tam laudabiliter antea vita, talibus parentibus orta, consanguineis & affinibus coniuncta, qui possit credi? aliter sensit Iustinianus in *l. vnic. C. de rapt. virg. nisi etiam*, inquit, *eam sollicitauerit, nisi ad ipsas artibus circumuenerit, non facti cum velle in tantum dedecus sese prodere.* Et Romani veteres sola professione apud Prætores faciendâ satis putabant coerceri posse foeminarum luxuriam. & pro monstro habuerunt apud Tacitum, Vestalium honestè natam, ita pudorem suum vulgasse. Eamque adeo exilio dannarunt. & nos reus velit credere actricem natalibus, moribusque hactenus

hactenus landatam, sponte ver-
cundiam omnem exuisse, atque
vltro se infra dedecus meretri-
cum scripto huiusmodi collocasse?

RESPONSVM VI.

An coniuges circa parentum
aut tutorum assensum con-
iuncti inuicem hic ali-
menta debeant?

EDictis anni 1540. & 1623. su-
per minorennium matrimo-
nii circa consensum tutorum aut
parentum in ius, quorum substantiam
retulimus in Notitia iuris Belg. tit. de
sponsal. cum decretum sit, vt neuter
ab altero quidquam lucri sine per
contractu matrimonij, seu quomo-
documque alijs acquirere possit,
quæsitum est, an vxor ali à mari-
to vel contra debeat, cum sic con-
traxerunt? quoad parentes expres-
sum est diserte, vt aduersus illos
etiam alimentorum nomine actio
nulla detur: quoad coniuges inui-
cem; non æquè, videri tamen po-
test etiam lucri nomine excludi.
verius tamen videtur lucrum ibi
accipiendum esse iuxta subiectam
materiam de qua ibidem agitur;
de duarijs; legalibus, consuetudi-
narijs & conuentijs: ijsque quæ
per causam matrimonij commo-
da merè lucratiua sunt. vt diximus
vbi supra. consequenter dicendum
est obligationes, effectusque con-
iugales per edicta non impediri.
adeoque per mores maritum fie-
ri mamburnum, & tutorem per-
sonæ, vxoris, & administratorem
bonorum ipsius; caput mulieris &
familia: vxorem debere marito
reuerentiam, & subiectionem; le-
ges societatis coniugis vel per
statuta inducitas, vel per contra-
ctum pactas & officia naturâ de-
bita coniugibus, qui iam vnacaro
facti sunt, seruari oportere;
adeoque inuicem coniugalia ob-

sequia deberi; & proinde alimen-
ta alterum, cui satis est, præstare
alteri egenti debere. hæc enim
sunt non lucra, sed reciproca con-
iugum debita: quæ à naturali æ-
quitate fluunt, ad quæ proinde ex-
tendi non debet odiosa & pœnalis
dispositio, sed lucra strictè accipi,
atque in rigore verbi debent: sicut
odia restringi; & fauores matri-
moniales conuenit ampliari. ita
vt contra ius vetus correctio &
pœna non expressa non recipia-
tur.

Obtinet ergo alimentorum ob-
ligatio inter eos, qui sunt coniu-
ges. qualitas verò quæ obligatio-
nem parit, inesse debet agentis:
quia sine actione, adeoque matris
illius obligatione, nemo potest
experiri: at hic matrimonium nul-
litate accusatur: an igitur præiu-
diciali illa quæstione pendente
alimenta addicenda sunt? lite pen-
dente nihil innouandum est: &
hi coniuges fuerunt in mutua
coniugij possessione, retinendi er-
go sunt in illa: adeoque alendi de-
bito: donec super nullitate succe-
dat definitio. l. 5. §. si vel parens. h. 7.
D. De agnos. lib. Accedit quod in-
strumenta contracti matrimonij
secundum apparentem formam
Concilij Trid. sint liquida: excep-
tio nullitatis, & non proprij pa-
rochi hactenus obscura penitio-
rem indaginem requirens: adeo-
que illa inquisitione pendente
provisionalia alimenta sub cautio-
ne addicenda sunt. d. §. si vel. d. l.
7. quod & in apparenti tantum
præsumptione tenet Afflic. decis.
152. Specul. tit. qui fil. leg. §. 1. n. 32.
sed quoniam rursus tam super nul-
litate, quam alimentis causæ con-
clusæ sunt, præiudicialis nullita-
tis coniugij quæstio prius est pro-
nuntianda. c. 1. §. 101. tit. X. de ord.
cog. & secundum eam alimenta
exinde, vel addicenda, vel negan-
ganda. d. l. 7.

An autem præterita alimenta
addicenda sint, an tantum futu-

2. Adeoque
& alimenta

3. An & lite
pendente
super con-
iugio?

4. An & præ-
terita?

1. Quid in
edictis no-
mine lucri
veniat, an
& obsequia
coniuga-
lia?